



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis, Commentariorum Libri LVIII**

**Valeriano, Pierio**

**[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678**

Intellectus æthereus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14259**

Hinc illud  
Zenodoti,  
ex Ploio  
Menandri,  
Tyrus  
daxis  
Turture lo  
quacior. Et  
Aelianus li.  
12. c. 6.  
Cant. c. 2.

*Συγχεσται* titulus est, loquaciores quasdam feminas Turtures vocat: illæ enim non ore tantum garrulitatem ostentant, verum etiam caudæ motu, qua propemodum obstrepere videntur.

## INTELLECTUS ÆTHEREUS. CAP. XX.

**A**T in divinis literis Turtur intelligentiam, quæ à divino Spiritu est, significat, ait Eucherius, eo Cantici Canticorum loco: *Vox Turturis audita est in terra nostra*: neque inficiatur idem de Columba dici. Sed Spiritum sanctum ex Columba tunc intelligi vult, quando, quæ de sacris literis disputatio commentarioque profertur, ea manifesta est & ad aperta: tunc vero ex Turture, cum res aliis obscurisq; mysteriis agitatur.

## DE HIRUNDINE. CAP. XXI.

**E**T quoniam Hirundo, quam Hieremias dicit Turturi comitem itineris additam, in manus incidit, eaque non minus garrula quam Turtur notetur à Theocrito, naturæ puritatem quandam secuti, significata ejus superioribus duobus priusquam advolet, excipiemus, quæ sunt hujusmodi.

## ÆQUALITAS. CAP. XXII.

Eadem Pl.  
lib. 10. c. 33.  
Æqualitas  
in epulis.  
Quia fors  
san adultio  
res pullos  
circummagi  
docent, &  
foris saturi  
tatem emit  
tere, & alia,  
quæ Plin. li.  
10. c. 33.

**A**Egyptii per Hirundinem in primis, quæ filiis suis cibum subministraret, hominem intelligebant, qui liberis æquas hæreditatis portiones distribueret; neq; non Principem, qui se civibus æquaret suis, neq; ullo vellet ornato vel apparatu magis quam reliqui sumptuosiore accipi. Hirundo siquidem mira filios alit æquitate, singulis cibum parem impartiens, ea adhibita diligentia, ne qui semel acceperit, bis accipiat: atq; ita, ut par sit omnium sportula, procuret. Æqualitatis istiusmodi adeo studiosus fuit Hadrianus Imp. ut in victu familiariter Homericum illud observari voluerit, ne quis *δαστός εἶσος* indigeret: quoque obsonatoribus nullum relinqueret peccandi locum, sæpe fercula de mensis aliorum, etiam infirmorum apponi sibi jubebat. Nihil enim ad conciliandos sibi populorum animos æque principibus prodest, quam æqualitatis ostentatio. Nam cum potentia suapte natura odiosa sit, per moderationem maxime omnium evadit amabilis.

## INSTITUTIO. CAP. XXIII.

**S**unt qui calathum cum pullis Hirundineis in aliquot veterum monumentis observatum, hieroglyphicum institutionis esse contendant, argumentumque ejusmodi ad Osiridis & Cereris beneficia in mortales collata, referant: quod scilicet, ab iis & vivendi leges, & agri colendi præcepta receperimus, & æquo cum reliquis jure vitam degere didicerimus. Legifera enim Ceres est Poetis, de qua plura alibi. Et apud Diodorum sacris Ægyptiorum literis, Osiris Jupiter, iustus, pater, dux & consultor omnium habetur, quæ sive ad institutionem, sive ad æquitatem accommodes, omnia quadrabunt.

## ARCHITECTURA. CAP. XXIV.

Hirundinū  
in nidis con  
struendis  
industria.  
Iisdem pene  
verbis Plin.  
lib. 10. c. 33.  
Iisdem ex  
Plinio.

**S**tudiosum ædificationis hominem, quiq; ampla ædificia, vel etiam oppida condiderit, per Hirundinem, quæ nidum astruat, intelligi nonnulli volunt: ab Hirundinibus enim aggeres fluminibus opponere, muros construere, domos cæmenticiis ædificare dedidisse nos, qui de architectura scripserunt authores optimi tradidere. Opera pretium vero est spectare alitis artem, & ingenium. Cum nidum luto construit, stramento roborat ad lutariæ paleationis normam: ac si quando evenerit ut lutum ita contrahens, ne omnino illi materia desit ad fabricandum. Manifestum autem industria hujus argumentum in Heracleotico Ægypti ostio præstant usque adeo tenellæ aviculæ, molem continuatione nidorum ita vaganti Nilo inexpugnabilem opposentes stadii unius spatio, ut id humano opere perfici vix posse credatur: unde mortalium primi, qui casulas ædificare cœperunt, exemplar non tantum ad ædes, verum etiam ad aggeres & munitiones construendas acceperunt.

## PATROCINIUM. CAP. XXV.

**H**æreditarium patrimonium ex asse filiis relictum per nidum Hirundinem apud sacerdotes Ægyptios significare tradit Horus, hieroglyphico inde desumpto, quod ab avium nulla  
nidus